

82 DE VIPERÆ NATURA

verò & B, sunt orificia intrinseca uterorum bifida, seu bipartita. Et hi sunt characteres tertiæ tabulæ.



VIPERÆ MASCULI IN-

ternorum Anatomes explicatio.

CAP. XIX.



MN Masculi figura, & internorum anatomie, A A, nobis testes designant, & eorum situs. XX, sunt vasa deferentia ipsum semen, variis ex anfractibus constituta, quæ terminantur ad I & L, vasa præparantia semen in ipsis penis per suas venas, & Q & R, sunt duo penes, qui terminantur usque ad radicem caudæ, & in summa eorum parte, M & N, sunt pelliculæ integentes penes, in parte anteriori sunt asperitates quædam, quemad-

mo-

modum denotat littera, Z, & quando turgidi fiunt, aut extra violenter emittuntur, uti sæpe apud Paulum vidimus, penes hanc formam referre, Y, aspectu aspero, ut erinaceus. B B, ipsa penium orificia, sita sunt juxta anum. Y Y, sunt autem renes, & serositatum loca. H, est rectus intestinus. S, colon intestinum flexuosum, quod terminatur in sinistro. Z, splen annectitur ipsi colo, ad fundum stomachi. E, stomachus, seu ventriculus, qui sub Jecore latitat. Hanc unam masculi anatomem, eximius linguarum peritia, & scientiarum cognitione, D. Timotheus Camontius diligentissimè conficit, qui in sua juvena mirificos ingenii fructus pollicetur, si longiorem ei vitam D E U S præstiterit.